



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXI. De origine huius hæresis, quòd Spiritum sanctus non procedat à Filio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

potuerint & debuerint Latini addere ad symbolum illud particulam.

Vide de tota re Magistrum cum Doctoribus lib. I. d. n. A. selm. in lib. de processione Spiritus Sancti. B. Tho. in opusculo de erroribus Graecorum. & de potentia. q. 10. att. 4. & J. chardum Armachanum li. 6. qq. Armenicarum. Genitum Scholarium in opusculo pro Latinis, cap. I. & Hugo Mentherianus de processione Spiritus Sancti. deniq. Bellanson in oratione dogmatica, & Concilium Florentinum.

### C A P V T X X I .

#### *De origine huius heresis.*

**R**IMVS auctor huius heresis videtur fuisse THEODORETUS (qui tamen postea in Concilio Chalcedonensi opera S. Leonis Papae Ecclesia recognitus est, & in suam sedem, ex qua pulsus fuerat, restitutus) cum aliis qui Nestorio fauebant, circa annum Domini CCCCCXXX. Nam quod in Prolegomenis V. Ignadi quidam Iustinianus Episcopus Siciliæ in epistola ad Petrum afferit, Macedonium docuisse, Spiritum sanctum à solo Patre spirati, non est villo modo probabile. Nam Macedonium de Spiritu sancto cum Arianis sentiebat, teste Augustino, ex heres. ca. 52. Aiani autem Spiritum sanctum filij etiam dicabant, ut S. Basilius testatur lib. 2. in Eunomium, bi. dicitur Arianos ex eo probare solitos, Filium esse Patrem minorum quod Pater creauerit Deum quendam paruum, hoc est filium: Filius autem non potuerit creare Deum, nec magis nec parvum, sed spiritum sanctum produxerit, qui nullus aido est Deus.

Adde, quod Concilium secundum congregatum est contra Macedonium, & tamen in symbolo posuit ex Patre unidentem. sed fortasse incorrectum textū habemus illius epistolæ, & pro spirat Macedonius à solo Patre Spiritum sanctum legendum est, separat. Separabat enim spiritum Macedonium à solo Patre, quia solius Filii volebat illum esse factum.

Extant igitur refutationes anathematismorum S. Cyril per Theodoretum editæ, tam in tomis Conciliorum quam in operibus S. Cyrilli, in quibus refutationibus cap. 9. dicitur Theodo-

Theodoretus dicit Spiritum sanctum nec esse à Filio, nec per Filium, sed à solo Patre. Extat etiam in tomis Conciliorum, & in operibus S. Cyrilli, & in Concilio EPHESINO nuper edito, tom. 2. cap. 37. Symbolum Nestorianum, in quo etiam habetur, Spiritum sanctum non habere per Filium suam substantiam, sed à solo Patre esse.

Quia tamen hoc obiter Nestoriani dixerant, & alia erat causa quæ tunc serio agebatur, non videtur iste error altius radices tunc egisse. nulli enim inueniuntur, qui de hac re tractent usq; ad annum Domini DCC. LXVII. Hoc autem anno, scribit A D O Viennensis in Chronico, celebratum fuisse magnum Concilium Gentiliaci, & disputatum coram Pipino Rege Caroli Magni patre inter Romanos & Græcos de Trinitate, & imaginibus: cuius disputationis & Cœcilijs membrinerunt etiam Regino, Siebertus, & Abbas Vrspergenfis in Chronico. Nec videtur illa potuisse tractari alia quæstio inter Græcos, & Latinos de Trinitate, quam de processione Spiritus sancti. non enim alia controværsia est, nec fuit inter Græcos, & Latinos de Trinitate.

Post annos deinde circiter centum tempore Nicolai I. qui sedet anno DCCC. LX. Græci apertius cum Latinis de hac re contendere cœperunt. Nam eo tempore THEOPHYLACTVS floruit, qui in cap. 3. Ioan. scribens, nominatim arguit Latinos, quod credant Spiritum sanctum ex Filio procedere. Et Ioannes DIACONVS, qui eodem tempore vixit, lib. 4. vitæ S. Gregorij, c. 75. dicit, Græcos vertisse in Græcam linguā dialogos S. Gregorij, & abrasisse illā particulam, *Filioq; procedit.*

Ceterū post alios CC. annos, id est, anno M. LIV. tempore LEONIS IX. perfectū schisma cœpit, adeò ut antea solum semina iacta videantur. Hoc enim anno, imperante CONSTANTINO X. qui dicebatur Monomochus, Patriarcha Constantinopol. Michaël nomine, cupiens vniuersalis Patriarcha re ipsa fieri, cuius dignitatis nomen iamdiu sibi usurpauerant eius prædecessores, promulgare cœpit Romanum Pontificem, & omnes alias Latinos excommunicatos esse, quod contra decretum Concilij Ephesini ad Symbolum aliquid addidissent: Romano autem Episcopo deiecto de prima sede, ad se primatū Ecclesiæ iure pertinere, qui post Romanū primus esset. Nec id solum tunc Græci fecerunt, sed etiam

omnes Ecclesias Latinorum, quæ in eorum ditione eten  
claudi iussent. Imperator etiam præmium constituit  
qui contra Latinos aliquid scriberent.

Hæc ita esse cognosci potest ex epistolis Leonis IX. ad in-  
peratorem Constantinum, & Patriarcham Michaëlem  
ex Anselmo, qui illo ipso seculo scripsit librum suum de-  
cessione Spiritus sancti contra Græcos, item ex Sigeberto  
Chronico anni M. LIV. & ex S. Antonino in histona p. 200  
c. 13. §. 11. Hæc de origine huius schismatis. Quando autem  
ditum sit ad Symbolum illud, Filioque, nō est pluē certum.  
ANTONINVS loco citato, §. 10. dicit, Nicolao I. obiecit ful-  
se à Græcis, quod addidisset ad Symbolū, sed in historiis an-  
tiquis hoc non inuenitur. & præterea in Concilio Floren-  
tino sess. 7. ANDREAS Episcopus Colossem. qui patrem suum  
tuebatur, asseruit Græcos Nicolao id non obieceret, cum tu-  
men quærerent omnes occasiones eum lādendi. Denique et-  
tum est, additionem hāc multò esse antiquiorem. Idem Andreas ibidem dicit, tempore VI. Synodi, id est, post annū De-  
mini DC. hanc additionem factam esse à Romano Pontifice  
in Concilio ingenti Latinorum Patrum, propter discussio-  
nes quasdam exortas in Gallia & in Hispania.

Et quamuis non possimus certò notare annum, aucto-  
tificem certum, tamen videtur omnino hoc tempore sibi  
factum. Nam in Cōcilio TOLETANO VIII. recitat symbolo  
lum cum hac additione. Fuit autem celebratum hoc Con-  
cilium circa annum Domini DC. LIII. & ante hoc tempus a  
inuenitur Symbolum Constantinopolitanum cum talia  
ditione. Nam in Concilio Toletano III. celebrato anno  
D. LXXXIX. legitur Symbolum sine vlla additione. Signum  
etiam huius rei est illa quæstio, quam diximus trahens  
inter Græcos & Latinos in Concilio Gentiliacensi, quæ  
nim Ecclesia Latina iam cœperat uti Symbolo cum addi-  
tione, Græci quæstionem mouerunt, signum etiam huius  
rei est, quod in VII. Synodo generali act. 7. idem Symbolum  
cum additione recitat. Sciendum est autem additionem  
illam receptam fuisse in Hispania, & Gallia antequam il-  
lum à summo Pontifice reciperetur. Extat enim in Vaticana  
bibliotheca post epistolas Pontificum à Cresconio collecta  
collatio habita inter Leonem III. Pontificem, & Legatos

Caroli Magni, in qua legati illi referunt, in Galliis cantari Symbolum cum particula, filioque, & à Pontifice petunt, ut ipse id approbet, & Romæ eodem modo cantari iubeat. Congruit verò hoc totum cum Adonis Chronico & annalibus Francorum ab Annonio, ut creditur, scriptis, in quibus habemus anno 809. celebratum Concilium Aquilgrani de processione Spiritus sancti, & inde missam legationem ad Leonem Pontificem.

Quod aut̄ quidam dicunt, additam hanc particulam fuisse in Concilio Romano à Damaso Papa, illo ipso tempore, quo celebratum est Concilium I. Constantinopolitanū, quæ duo Concilia vnum Concilium generale efficiunt: nō video quemadmodū rectè defendi possit. Exstat quidem inter opera S. Hieron. Symbolum quoddam sub nomine Damasi, in quo hæc particula habetur. Sed non quærimus, quis in suo Symbolo posuerit, Spiritum sanctum ex Filio procedere, sed quis id addiderit Symbolo Constantinopolitano. non fuisse autem Damasum, his argumētis probamus. nam si ita esset, cur nulla huius rei mentio inueniretur, vel in I. tomo Conciliorum, vel lib. 9. cap. 16. historiæ tripartitæ? Quomodo Theodoreetus vir planè doctissimus, & qui in historia sua inseruit epistolas Concilij Constantinopolitani ad Damasum, & Damasi ad Concilium, additionem istam ignorasset? Ignorasse enim eum eiusmodi additionem ex eo colligitur, quod tam audacter scripsit, Spiritum sanctum ex Filio non procedere.

Cur item Leo Papa III. Symbolum Constantinopolitanum (ut refert Petrus Lombardus lib. I. sentent. distinct. II.) in argentea tabula sine illa additione scribi iussit? Ignorauit fortassis Leo acta prædecessoris? an voluit contrarium potius definire? cur ab eodem petunt Legati Caroli Magni, ut Symbolum cum ea particula, recipiat? Cur Concilium Tolentinum III. sine illa additione Symbolum recitauit, si tanto ante in Symbolo locū suum illa additio obtinuerat? Cur deniq; Graci non ante annum D C. questionem mouerunt? & quo colore dicere ausi sunt, Latinos peccâsse cōtra canones Concilij III. illius particulæ adiectione, si ea in Concilio II. addita fuerat? Maneat igitur quod suprà diximus, post annum Domini D C. additionem illam esse factam.